quæstionem dirimere & determinare, & in futuro movendis omnibus dare decisionem. Et fancimus alias res post antenuptialem donationem ad filios venientes, si quidem filius masculus, aut fœmina forte testetur, secundum legem venire ad scriptos heredes: hic matre non prohibita scribi a filio herede: sed etiam contra testamentum ei datis allegationibus, si forte filius eam prætermiserit, aut irrationabiliter exheredatam fecerit. Si vero intestatus [1] decesserit, reservans illius partem, si quidem habuerit filios proprios, ad filios venire, sin autem non habuerit quidem filios proprios, sit fratrum vocatio & matris una cum fratribus (secundum quod a nobis sancitum est) ad hereditatem venientis, & eam firme habentis, live ad secundas veller venire nuptias, sive non. Nec enim majores pœnas adversus mulieres, quæ ad secundas veniunt nuptias, facimus, neque ex hoc eas ad necessitatem deducimus amaram, & nostrorum temporum indignam, ut metu castarum nuptiarum (licet [2] secundæ sunt) ab his quidem abstineant, & descendant ad quasdam interdictas permixtiones, & forsan etiam ad servorum corruptiones: &, quoniam non licet legaliter caste vivere, contra leges luxurientur. Nequaquam igitur valere volumus, neque in quinto libro Codicis cognominis nostræ pietatis positam constitutionem [3], decernentem de hereditatibus filiorum, quos matres ad secundas nuptias venientes viderunt præobeuntes, neque in sexto libro ejusdem conscriptionis sub Titulo [4] Tertulliani, quæ de mulieribus disputat, secundis quidem nuptiis junctis, ante secundam tamen copulationem filios amittentibus: sed vocetur ad filii hereditatem modis omnibus mater cum [5] fratribus, & hanc habeat firme, nihil ex secundis lædenda nuptiis, quod & in subjecta quæstione, quæ legem hanc movit, obtineat, & mater una cum filia succedat hereditati: aut etiam succedens hanc irrefragabiliter habeat, nihil ex spe secundarum lædenda nuptiarum, sed domina ejusdem hereditatis cum filia absolute consistens. Optimum itaque est, atque laudabile, & dignum oratione, ut mulieres, ita se honeste tractent, quatenus quæ semel ad virum venerunt, servent inviolatum morientium torum: *& hujusmodi mulierem & miramur pariter, & laudamus, & non* [6] *procul a virginitate ponimus.* † Sin autem non valuerit (cum forsitan & juvenis [7] hoc non patiatur) *nec possit contra* [8] *fervorem* [9] *naturæ resistere*, non est torquenda propter hoc, nec interdicendæ sunt ei communes leges: sed ad viri alterius veniat nuptias honeste, & omni luxuria abstineat: & fruatur successione filiorum. Sic enim eos adhuc amplius diliget, & non quasi quosdam odibiles respiciet, pœnis subdita sic amaris. Sicut enim patres, si ad secundas veniant nuptias, non [10] fraudamus filiorum suorum successione, nec quilibet est lex aliquid tale dicens: sic neque matres privabimus filiorum successione, si matres ad virum veniant secundum, licet ante nuptias secundas aut post secundas filii moriantur. Alioqui ex absurditate legis, licet præmoriantur filii omnes, non relinquentes filios aut nepotes, nihilominus supplicium manet, & non succedet eis mater, nec si sine filiis moriantur: sed inhumane ab eorum expellitur successione frustra quidem patiens, frustra simul & nutriens propter legales nuptias subjecta pœnis, & succedent quidem illis aliqui ex longa cognatione: mater autem irrationabiliter expelletur. Quapropter, & ipsa succedat filiis: & sit hæc lex clemens, & mitis, matres filiis concilians. † Colligentes igitur hujus legis partes, sancimus, quoniam matrem (secundum quod jam dudum diximus) assimilamus [11] patri in antenuptiali donatione: & ipsa sustinere quidem pœnas, sicut sustinet pater in dote: in hereditatem autem filiorum sine tergiversatione veniant, & pater, & mater secundum subjectas utrique casui quæstiones. Proinde quod patres habent sive ad secundas venientes nuptias sive non, hoc etiam matres habeant, voceturque mater ad filii hereditatem, sive jam ad secundas venit nuptias, sive postea veniat. §. 1. Antenuptiali vero donatione, ad secundum veniens consortium, neque secundum quantum heres existet filii, fruatur: sed hoc filiorum sit solum lucrum, eis a lege datum, & non videatur esse pars hereditatis filii: sed adhuc antenuptialis donationis non abjiciens naturam. Quæ comperit tenere etiam circa eas, quæ nunc jam sunt viduatæ mulieres & propriis succesferunt filiis: & quæ nondum ad secundas veniunt nuptias, licet postea veniant. Quod igitur hic habetur, sic omni tempore sanciatur.

CAP. IV.

De administratione donationis propter nuptias si mulier ad secundas nuptias transierit.

ALiud [12] vero quiddam occasione secundo nubentium mulierum & antenuptialis donationis, adjicere prioribus, bene se habere credimus. *Priscis namque constitutionibus præbentibus electionem mulieri, quæ ad secunda vota descendit, si vellet accipere ante nuptias donationem, secundum quod ei permittunt pacta & exponere filiis cautionem* [13]. *Quia moriens hæc restituereret: sive cum non valet dare cautionem, aut nollet forte, manerent quidem res apud filios antenuptialis donationis. solverent autem ei etiam* tertiam [14] partem *centesimæ usuræ:* Nos ex quæstionum emergentium varietate moti, quoniam invenimus minores in hoc periculum patientes, antenuptiali donatione in pecuniis [15] existente: & alios aurum quidem non habentes, coactos autem omnia paterna vendere, quatenus exolveretur antenuptialis donationis debitum, ad eos utique secundum legem antenuptiali donatione veniente: propterea judicavimus oportere hunc dari ordinem cautæ; Ut si [16] quis contulerit res secundum antenuptialem donationem, si quidem omnes immobiles sint, maneat [17] harum usus apud matrem: & ipsa eum colligat, & non respuat: neque exigat filius pro harum æstimatione usuras: sed & diligentiam earum habeat, sicut lex jubet, usu quidem existentibus dominis, & custodiat eas secundum leges antiquas filiis superstitibus [18]: aut si omnes moriantur, secundum nostram legem, in casum quidem non existentium filiorum matri: reliquum vero filiorum heredibus conservandum. † Si autem omnis forte consistat in pecuniis, aut aliis mobilibus rebus antenuptialis donatio: tertiam usurarum partem percipientem matrem cum [19] cautione jam definita; non exigere a filiis aurum: nisi forte idonea sit viri substantia, & habeat aurum & argentum & vestem, & quicquid conscriptum fuerit matri. tunc enim electionem matri dabimus, sive voluerit res percipere, & præbere cautionem: sive justam quam diximus usuram accipere, & secundum priores leges, & secundum nostram.

† Si vero permixtæ sint res, & donatio ante nuptias aliud quidem in pecuniis, aliud vero in immobilibus habeat rebus: immobilia quidem modis omnibus manere apud matrem, ut alimentum habeat inde: porro de mobilibus hæc valere quæ sancivimus prius, si essent in rebus mobilibus omnia antenuptialis donationis consistentia.

CAP. V.

De dote scripta & non numerata vel præstita.

ILlud [20] quoque dudum acerbe quidem sancitum, raro autem in judicio examinatum, exilimamus oportere clara lege complecti, & tradere usui, & deducere ad judicia, pro communi positum adjutorio. Si enim conjungantur aliqui alterutris cum dotis & antenuptialis donationis documentis: deinde vir quidem antenuptialem præbeat donationem, mulier autem scribat dotem, aut ipsa præbente eam, aut dante patre, aut quolibet extraneo: postea appareat matrimonii tempore dos non data marito, sed sustineat onera matrimonii, & matrimonium morte viri solvatur: non est justum omnino mulierem dotem [21] non dantem marito, *antenuptialem* accipere donationem. Sin autem etiam non totam dedit dotem: & ipsa pro tanto exigat donationem, in quantum dederit dotem, æqualitatis [22] enim & justitiæ fumus amatores, quam in omnibus aliis & in consortiis volumus obtinere. Quapropter *quæ mulier nil omnino dat, nil omnino percipiat, quæ vero minus quam professa est dedit, tantum* [23] *recipiat solum quantum obtulit*, sitque etiam hoc optimum in præsenti lege incrementum, plurima decernente, quæ semper in dubitatione sunt, vix autem modo ad legislationem deductam. † Hanc autem valere volumus legem & in casu dante ei principium, & in pendentibus [24] litibus & in omnibus de cætero provenientibus.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, tua sublimitas operi effectuique contradere festinet, & manifesta universis per programmata propria faciat, quatenus in omnibus civitatibus, quas nostra ditio continet, hæc valeant, & certa omnibus fiant, secundum quod a nobis dispositum est [25].

TIT. III.

UT [26] DETERMINATUS SIT NUMERUS CLERICORUM SANCTISSIMÆ MAJORIS [27] ECCLESIÆ [28], ET CÆTERARUM ECCLESIARUM CONSTANTINOPOLITANARUM.

NOVELLA CONSTIT. III.

Imper. Justin. Aug. Epiphanio Sanctiss. & Beatiss. Archiepiscopo regiæ civitatis, & universali Patriarcha.

PRÆFATIO.

DUdum quidem communi & generali [29] lege ad tuam beatitudinem & ad reliquos sanctissimos Patriarchas scripta, de ordinatione venerabilium Episcoporum, & reverendiss. clericorum, nec non mulierum diaconissarum, & *ut non amplius sint ab antiqua mensura qui ordinantur*, disposuimus: quod nobis videbatur bene se & competenter habere, & regularum sacrarum digne: præsentem vero legem specialem ad tuam beatitudinem scribimus, de numero reverendiss. clericorum, qui in hac urbe sunt, disponentes. Quia enim *pene nihil immensum* [30] *bonum est*, competens est neque ordinationes quæ super reverendiss. clericis fiunt, aut super reverendiss. diaconissis, fieri tantas, ut illorum expensis sanctissima ecclesia incidat in causam mutuorum maximorum, & paulatim ad novissimam inopiam deponatur. Novimus enim propter hujusmodi occasionem, hujus regiæ civitatis sanctissimam majorem ecclesiam, *nostri imperii matrem* [31] debitis inquietari majoribus, & non aliter valentem facere singulas erogationes reverendiss. clericis, antequam aurum non parvum fumat mutuum, faciens tam hypothecas quam pignorum dationes in optimis suis præediis rusticis & suburbanis. Propter hoc igitur perspeximus nosmetipsos deponere ad hujusmodi causæ inquisitionem, & agnoscere quemadmodum prius se habuerit, quidque longitudo temporis adinvenerit. † Investigantes igitur illud undique invenimus *quoniam singuli horum qui sanctiss. ecclesias ædificaverunt in hac felicissima civitate, non pro ædificio solummodo cogitaverunt, sed etiam ut expensas sufficientes darent a se factis venerabilibus domibus: & determinarent quantos quidem competens esset presbyteros per unamquamque ecclesiam, quantosque diaconos masculos* [32] *atque fœminas, & quantos subdiaconos, & rursus cantores atque lectores & ostiarios constituit: & super hæc etiam oratorii expensas definierunt: & reditus proprios dederunt sufficientes iis quæ a se constituta sunt*: si quis autem adjecerit multitudinem, nequaquam amplius penitus extendi valentes. † Et quidem permanserunt usque

& Bart. ad *l. 5. Cod. ad Senat. Tertyllianum*, ubi dicit hoc caput 3. corrigere *d. l. 5.* sed didicim caput 3. rursum corrigi per Novell. 22. cap. 46. & sic rursus manere *d. l. 5.* pura quando mater succedit ab intestato, quando vero filio prioris matrimonii succedit ex testamento tunc *d. l. 5.* esse & manere correctam per hoc caput 3. Anf. 1 *Nov. 22. c. 46.*
2 *d. cap. 46.* 3 *l. 3. §. ult. C. de secund. nupt.* 4 *l. 5. C. ad SC. Tertyll.*
5 Mater cum fratribus defuncti, deinducto succedit ab intestato. 6 Primæ nuptiæ, non proceul a virginitate. Antiquum illud filii, Primas honorari, quas ideo Nazianzenus vocavit πρωτόκλινον κόρον, ut & secundas, συγγενόκλινον, tertias, ΔΙΓΑΜΟΚΛΙΝΟΝ: quartas, γαμοβλάβον. Glos.
7 Juvenis ad nuptias promiores. adde *l. ad Tim. 5.* 8 Naturæ reluctari difficile.
9 Nuptias appetimus fervore naturæ. 10 Parentes on nuptias secundo contractas, non privantur filiorum successione *ut hic*: quemadmodum & parentes assimilentur in adventitii liberorum consequantur, licet ad secundas venerint nuptias. *l. ult. C. de bon. matern. Novell. 22. cap. 34.* 11 Quod jus patri competit in liberorum successione, idem matribus competit. 12 Hinc sumpta est Authentica, *Sed si autem, Cod. de secund. nupt.*
13 Vid. *vers. si autem. J.* 14 Id est, usuras trientum. 15 Κτήματα Scringer, χρήματα Cujac. 16 Nota regulam. 17 *Novell. 3. & Cod. eodem.* 18 *Cap. 1. §. eod.*
19 *Vers. priscis super. eod. l. 5. §. 1. C. de secund. nupt.* 20 Hinc sumpta est Authentica, sed quæ nihil *C. de pact. convent. Cui.* Goth. Vid. Gulelin. *de jure novissimo lib. 1. cap. 8. num. 2.* Anf. 21 Quæ dotem non dedit marito, antenuptialem donationem non accipit. Quid si per maritum fletit, quo minus dos ei daretur? mora mariti ejus, uxori non nocebit. *Novell. 9.* 22 Æqualitas servanda. 23 Quantum mulier dedit dotis nomine, tantum ei ex donatione propter nuptias, recipit. 24 Leges interim extendantur ad pendentes etiam lites: alias earum generalis est conditio, ut ad futuros tantum casus pertineant, *l. 7. Cod. de legibus.* 25 Dat. XVII. Kal. April. Just. IV. & Decio Coss. ang. Nov. 22. *cap. 46.* id est, anno 534.
26 Vid. Justinum Patricium *constit. 5.* 27 Major ecclesia Constantinopolitana, S. Sophia (de qua dicam commodiore tempore) ut & Romana, Lateranensis Ecclesia.
28 Constantinopolitanæ scil. 29 Ἰδιόν. Hal. ἀγχινοεῖν. Scringerus. 30 Οὐδὲν ἐν ὑπερβολῇ κακόν. 31 Major Ecclesia Constantinopolitana mater Imperii a Justiniano hic vocatur. 32 Diaconorum alii masculi: aliæ fœminæ.

ad

ad multum tempus talia conservata: & donec hoc fuit, duraverunt sanctiss. ecclesiarum domibus quæ sufficerent. Cum vero Deo amabiles episcopi ad aliquorum preces semper respicientes protacti sunt ad ordinationum multitudinem, aucta quidem est expensarum quantitas ad immensitatem multam: creditores autem undique & usuræ, & novissime neque creditores inveniuntur propter incredulitatem jam causæ: sed alienationes cum necessitate, & contra leges, & causæ indecentes, & neque propria dignitate temperatæ, ut ex hac nimietate, neque prædia neque suburbana sufficerent hypothecis & pignoribus, neque creditores propter hoc invenirentur, sed ad inopiam descenderent novissimam, & nec ipsis ministris emolumentum dare sufficerent: sed ad viam omnium infelicissimam causa descenderet, quatenus rerum omnium creditoribus cederet: quod etiam dicere piget nos: & quemadmodum non fiat, providemus. Nam si non aliquis ferret libenter eum qui ultra [1] substantiam suam expendit, quomodo non & de his nobis est cogitandum? Non enim oportet ad mensuram [2] expensarum quærere etiam possessiones, (hoc enim simul ad avaritiam, impietatemque perducit) sed ex iis quæ sunt, expensas metiri. Quapropter competenter etiam de his sancimus, & immensitatem excludimus, certæ medicinæ causam tradentes.

CAP. I.

Ut numerus clericorum qui nunc est, maneat, & de futuro numero clericorum Constantinopolitanæ majoris ecclesiæ.

SAncimus igitur eos quidem qui hactenus sunt in eadem sanctiss. majore ecclesia & reliquas omnes venerabiles domos, & reverendiss. clericos, & mulieres diaconissas & ostiarios manere in quo sunt schemate. (non enim quod est, minuimus [3], sed de futuro providentes hæc sancimus) reliquo vero tempore nulla fiat ordinatio, donec ad antiquum numerum institutum ab iis qui sanctiss. ecclesias ædificaverunt, reverendiss. clericorum quantitas redigatur. † Sed quoniam pridem etiam reverendiss. clericorum sanctissimæ majoris ecclesiæ regiæ nostræ civitatis determinatus est numerus, & valde brevis erat: utpote una existente sanctiss. [4] ecclesia: postea vero & venerabilis domus sanctæ gloriosæque virginis & Dei genitricis Mariæ juxta sanctissimæ majoris ecclesiæ vicinitatem posita, ædificata est a piæ memoriæ Verina [5], & veneranda domus sancti martyris Theodori a Speratio [6] gloriosæ memoriæ dedicata est. Erat autem etiam venerabilis domus sanctæ Helenæ [7], quæ sanctiss. majoris ecclesiæ copulata est: propterea [8] redigere numerum ad antiquam figuram impossibile est. Non enim sufficient tantis ecclesiis pauci consistentes: quoniam quidem non proprios clericos, neque una quidem harum trium habeat basilicarum, sed communes sunt, & sanctissimæ majoris ecclesiæ, & earum: & omnes circumeuntes secundum quendam ordinem & circum, ministeria in eis celebrant: deinde etiam plurima multitudine, & ex antiquis hæreticis [9] ad sanctiss. majorem ecclesiam deducta, gratia quidem magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, laboribus autem, & immutationibus nostris oporteat plures quam a principio ad præsens officii ministerium definiri. §. 1. Quapropter sancimus *non* [10] *ultra sexaginta quidem presbyteros in sanctissima majori ecclesia esse, diaconos autem masculos centum* [11], *& quadraginta fœminas: subdiaconos vero nonaginta, lectores autem centum, & decem, cantores viginti quinque: ita ut sit omnis numerus reverendiss. clericorum sanctissimæ majoris ecclesiæ in quadringentis viginti quinque: & insuper centum* [12] *existentibus iis, qui vocantur ostiarii.* In sanctissima siquidem majori ecclesia hujus felicissimæ nostræ civitatis, & per tres venerabiles domos unitas, ei tanta clericorum sit multitudo: nullo [13] quidem horum qui nunc sunt, excludendo: licet multo plurium sit numerus ab iis qui a nobis nunc determinati sunt: nullo autem de cætero adjiciendo in unoquoque ordine in iis qui nunc sunt, donec ad hunc numerum mensura redigatur.

CAP. II.

Ne liceat clericis de minore ecclesia in majorem per patrocinium transire, & de clericorum multitudine non facienda.

ILlud quoque adjiciendum est, ut quod hactenus indecenter fiebat, nequaquam in repub. geratur, id est, multos reverendiss. clericorum, dedignari quidem in iis quibus ordinati sunt, sanctiss. ecclesiis, aut hic, aut in provinciis, deservire [14]: ad sanctiss. vero majorem ecclesiam, & venerabilem clerum ejus per patrocinium quodlibet accedere, quod de cætero omnimodo fieri prohibemus: nam si super venerabilibus monasteriis prohibemus *ex alio monasterio* [15] *ad aliud transmigrare*: multo magis neque reverendiss. clericis hoc permittemus: lucri & negotiationis habere demonstrationem hujusmodi horum desiderium judicantes. Si vero, & aliquando talem quandam migrationem tua beatitudo, aut per tempora imperium fieri perspexerit: non aliter hoc agi, antequam ad prædictum a nobis numerum causa redigatur, ut migratio in officium deficientis fiat: & non supra numerum aliquid omnino excedatur: hoc enim nulla machinatione, neque ex aliquo modo fieri sinimus. Et hæc quidem de sanctissima majori ecclesia. §. 1. In aliis autem omnibus ecclesiis, quarum expensas sanctiss. major ecclesia facit, sancimus nunc quidem existentes manere, similiter eos etiam sub schemate [16], de cætero vero nullum ordinari, antequam ad *statutum unusquisque ecclesiæ* (ut vocant) *quod antiquitus* [17] *ordinatum est ab ædificatoribus ecclesiarum*, presbyterorum, diaconorum masculorum atque fœminarum, & subdiaconorum atque lectorum, nec non cantorum, & ostiariorum numerus redigatur, & nullus in medio penitus adjiciatur. Nosque ipsi cavebimus tale aliquid agere: & ordinandos mittere: nullusque nostrorum judicum tale aliquid agat, nostram formidans legem: & licentia sit beatiss. archiepiscopo & patriarchæ hujus regiæ civitatis ordinationi contradicere, licet jussio de [18] palatio veniat: nam qui & præcipit, & cui præcipitur, sub ecclesiastica erunt mulcta, si tale aliquid egerint. † Sed neque in aliis ecclesiis, quæcumque emolumentum, & expensas non habent a sanctiss. majore ecclesia, competens est, multitudinem intromittere ordinandorum in ipsis, neque transcendere de cætero constitutam a principio etiam super illis mensuram: ne forsan etiam qui in eas creantur in multitudinem incidentes immensam, & accedentes sibimet a pie agentibus reditus dividentes, & exinde usque ad mensuram eorum non sufficere videntes, in maximam angustiam incidant. † Si vero ultra mensuram definitam in sanctiss. majore ecclesia sive aliis ecclesiis ordinet, qui per tempora fuerit sanctiss. majoris ecclesiæ sanctiss. episcopus, & venerabilis ejusdem ecclesiæ œconomi erogationem ex ecclesiasticis præbuerint reditibus: ipsi quoque de sua & propria facultate præbeant expensam, & qui hæc expendere eos permiserit beatiss. patriarcha. Sciant enim, quia si quid tale egerint, licentiam damus & sanctiss. patriarchis, qui post tale aliquid agentes fuerint, & posterioribus œconomis, & omnibus reliquis reverendiss. clericis talia perscrutari, & facta prohibere, & indicare imperio: ut illud cognoscens, præcipiat ex substantia hæc agentium œconomorum, aut etiam permittentis archiepiscopi hoc sarciri sanctiss. ecclesiæ. Quapropter ne rursus forte fiat aliqua rei confusio atque tumultus, causa ad mensuram a principio constitutam redacta, tunc ordinare liceat in tantum ut non transcendatur definita mensura, neque numerus transeatur, aut fiat quædam circa hoc calliditas. Non enim illud patimur omnino fieri, ut dicatur quia licentia erit ordinare quidem, non tamen emolumenta præbere: hoc enim est rursus confusionem efficientium, & immensa adjectione secunda collegia constituentium: deinde etiam plurimas habebit ea res circumventiones, ut alias sibimet vias avaritiæ inveniant pro alimentorum expensis. Ex hoc igitur agi penitus, etiam sub mulcta, quæ vocatur ecclesiastica, prohibemus: maximam utilitatem hanc esse putantes, ut sanctissima major ecclesia neque debitis subjiciatur, neque angustietur, neque perpetuo deficiat, sed semper [19] abundet.

CAP. III.

De reliquis ecclesiarum reditibus in pios actus, & personas vere egentes per patriarchas, & œconomos erogandis.

SIcut autem de his expensam determinavimus, ita congruet pro tempore sanctiss. patriarcham & reverendiss. œconomos considerare, ut aliæ expensæ quæ fiunt ex ecclesiasticis reditibus, circa [20] pios erogentur actus, & Deo placentes, & illis hæc ministrentur, qui pro veritate egent, & non habent alunde alimentorum occasionem. Hoc enim dominum Deum placat: *& non patrociniis & studiis hominum ecclesiasticas expensas hominibus locupletibus* [21] *distribuant*, ita *ut inde inopes necessaria non mereantur:* Sciant autem Deo amabiles œconomi, & qui nunc, & per tempora futuri sunt: quia si quid præter hæc egerint, & divinis suppliciis subjacebunt, & ex sua substantia indemnitatem sanctissimæ procurabunt ecclesiæ.

EPILOGUS.

§. 1. Beatitudinem igitur tuam quæ ab initio, *& ex infantili pene ætate* in sacro omni ordine, & schemate sanctissimam ordinavit ecclesiam, quæ & ex sacro utique genere descendit, hæc custodire continue sancimus: scientem quia non minor nobis cura est horum, quæ sanctiss. ecclesiis prosunt, quam ipsius animæ. Dat. 17. Kal. April. DOMINO BELISARIO V. C. CONS.

TIT. IV.

DE [22] FIDEJUSSORIBUS [23] ET MANDATORIBUS [24], SPONSORIBUS 25, ET SOLUTIONIBUS.

NOVELLA CONSTIT. IV.

Imp. Justin. August. Joanni gloriossi. præfect. sacrorum prat.

PRÆFATIO.

LEgem antiquam positam quidem olim, usu vero nescimus quemadmodum non approbatam, per causas autem semper exquisitas atque necessarias apparentem, rursus revocare, & ad rempub. reducere, bene se habere putavimus, non simpliciter eam, sicut jacebat, ponentes: (erat enim quædam [26] ejus pars omnino non discreta) sed cum potenti & Deo placito distribuentes augmento.

CAP. I.

Ut creditores primo loco conveniant principalem [27].

SI [28] quis igitur crediderit, & fidejussorem aut mandatorem aut sponsorem [29] acceperit: is non [30] primum adversus mandatorem, aut fidejussorem aut sponsorem accedat neque negligens, debitoris intercessoribus [31] molestus sit: sed veniat primum [32] ad eum qui aurum accepit debitumque contraxit: & si quidem inde receperit, ab aliis abstineat; quid enim ei in extraneis erit, a debitore completo? Si vero non valuerit a debitore recipere aut in partem, aut in totum: secundum quod ab eo non potuerit recipere, secundare, quam egere. 20 Ecclesiæ facultates in pios actus erogandæ. 21 Bona ecclesiæ pauperibus, non locupletibus distribuenda.
22 Adde & de tertiis detentoribus rerum. Goth. Ad hanc Novell. vid. Gœdd. *de contrah. stipulat. cap. 9. n. 95. 96. 130. 132.* & quoad inscriptionem partitionem, & intellectum Rittershus. *in exposit. Novell. part. 2. c. 2. n. 5. 6. & reliq.* Anf. 23 Dixi ad *l. 46. ff. 1.* adde *jul. Patricium constit. 3.* 24 Μανδατάριος. 26. *Eclog. 1.* περὶ μανδατάριων, de quibus agitur. *l. 52. in fin. ff. & l. 23. l. 28. C. de fidejussor.* 25 Ἀντιπροσωπεύοντες. 26 Quæ scilicet electio erat penes creditorem utrum reum, an vero fidejussores conveniret, *l. 3. C. de fidejuss.* 27 Hinc sumpta est Auth. *præsente. Cod. de fidejussor.* ad verbum extat apud Harmenop. 3. *c. 6.* 28 Ut *l. 55. in fin. ff. l. 3. l. 23. l. 28. C. de fidejuss. l. 1. C. de fidejuss. fisci.* 29 Constitutæ pecuniæ reum, ἀντιπροσωπεύοντες. 30 Vid. *l. 91. §. 4. ff. de verb. obl.* 31 Deinde fidejussorem, postremo possessorem rerum debitarum: & ita beneficium epistolæ D. Hadriani ad fidejussorem pertinens, pertinet ad correos debendi. *Novell. 99. c. 1.* 32 Fidejussor vel possessor rei obligatæ creditori, conveniri ab eo non potest, nisi discusso principali. Hic ordo servandus est in conveniendo

1 Ultra substantiam expensæ non sunt faciendæ. 2 Non ad mensuram expensarum possessiones quærendæ: sed ex ipsis possessionibus expensas metiri oportet.
3 Princeps Ecclesiæ bona minuere non debet. 4 Ecclesiam S. Sophiæ intelligit.
5 Uxore magni Leonis. 6 Σπεραττίου. Scringer. Spcragli. Is fuit consul sub Valentiniano, Martiano. 7 Ἐφέσης. Scringer. recte. huic enim ædem sacraverat Constantinus teste Socrate. 8 Quotiens connectuntur inter se plures Ecclesiæ, numerus fervientium exigendus: & per consequentiam expensarum. 9 Id est, ex bonis hæreticorum.
10 Nota numerum presbyterorum, subdiaconorum, lectorum, ostiariorum, cantorum majoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ. adde *l. 4. C. de sacr. Eccles.* 11 Septem tamen diaconos tantum, quantumvis magna sit civitas, creari jubet Neocæsariensis Synodus *c. 14.*
12 Ostiarii centum in Ecclesia majore Constantinopolitana tribus aliis Ecclesiis ei unitis.
13 Retinetur facilius extans numerus clericorum, quam futuri admittuntur.
14 *Novell. 5. c. 7.* 15 Ex uno monasterio in aliud, non est permissa migratio.
16 Id est, modo, σχῆμα, est etiam habitus Clericorum, Salvianus appellat hab tum sancti nominis.
17 Adde *Nov. 6. c. 8.* 18 Παρὰ τῆς αὐλῆς. 19 Ecclesiam prædita; reditibus abun-

dum hoc ad fidejussorem, aut sponsorem, aut mandatorem veniat, & ab illo quod reliquum est, sumat: & si quidem præsentes [1] ei consistant ambo, & principalis & intercessor, & [fidejussor] aut mandator aut sponsor: hoc omni servetur modo. † Si vero intercessor, aut mandator, aut qui sponsioni se subjecerit, adsit: principalem vero abesse contigerit, acerbum est, creditorem mittere alio, cum possit mox intercessorem, aut mandatorem, aut sponsorem exigere.

† Sed & hoc quidem curandum est a nobis possibili modo: non enim erat quoddam hic antiquæ legi datum pro sanatione remedium: quamvis Papinianus maximus [2] fuerit, qui hoc primitus introduxit. Probet igitur intercessorem, aut sponsorem, aut mandatorem: & causæ præsidens judex det tempus [3] intercessori (idem est dicere, sponsori & mandatori) volenti principalem deducere: quatenus ille prius sustineat conventionem: & sic ipse in ultimum subsidium [4] servetur: sitque solatio intercessori, [aut sponsori & mandatori] in hoc quoque judex: fidejussoribus enim & talibus prodesse sancitum est, ut illo deducto, interim conventione liberentur, qui pro eo in molestia fuerunt. Si vero tempus in hoc indultum excesserit, (convenit namque etiam tempus definire judicantem) tunc fidejussor, aut mandator, aut sponsor exequatur litem, & debitum exigatur contra eum pro quo fidejussit, aut pro quo mandatum scripsit, aut sponsionem suscepit: a creditoribus actionis sibi cessis [5].

CAP. II.

Alterum thema prioris capitis Ut res apud alium constitutæ non possint vindicari, priusquam personalis actio exerceatur.

Sed [6] neque ad res debitorum, quæ ab aliis detinentur, veniat prius, antequam [7] transeat viam super personalibus contra mandatores, & fidejussores, & sponsores: sicque ad res veniens principalis [8] debitoris, sive ab alio detineantur, & detinentes [9] eas conveniens, si neque inde habuerit satisfactionem: tunc veniat adversus res fidejussorum, & mandatorum, & sponsorum: idem [10] enim est dicere: vel si quosdam habuerint homines ipsis sibimet obligatos, & qui hypothecariis actionibus sibi teneri possint. † Contra principales tamen & existentes apud eos res (sive personalibus, sive hypothecariis mox, sive ambabus, uti voluerit,) omnem ei damus licentiam, quæ dudum a nobis data est, & viam & ordinem in aliis personis casibusque sancimus.

† Et non solum hoc in creditoribus dicimus: sed etiam si quis emerit aliquid ab aliquo, deinde acceperit eum, quem vocant confirmatorem [11], & moveatur in aliquo venditionis conventio contra venditorem facta: non adversus confirmatorem mox emptor accedat, neq; tenentem aliquid rerum venditoris, sed adversus venditorem [12] prius, & sic ad confirmatorem [13], & tertio loco contra detentorem. † Eadem etiam hic existente divisione super præsentibus & absentibus, quam dudum in fidejussoribus & mandatoribus & sponsoribus [14] ac creditoribus causa debitorum sancivimus. † Similiter obtinente etiam in aliis contractibus, in quibus fidejussores aliqui, aut mandatores, aut sponsores accipiuntur: & in ipsis principalibus ex utroque latere, & in heredibus eorum, & successoribus, antiqua [15] si quidem lex hæc valeat rursus, & cum hujusmodi justitia atque divisione nostros subjectos foveat.

CAP. III.

De solutionibus. Ut debitore aurum aut pecuniam numeratam non habente, addicantur creditori res ejus.

Quod autem de cætero humanis auxiliatur curis: licet quibusdam creditoribus non forte sit gratum, a nobis tamen propter clementiam sancitur. Si [16] quis enim mutuaverit aurum, debitoris substantiæ credens: at ille [17] ad restitutionem auri non sit idoneus [18], substantiam autem immobilem habeat, verum creditor ardeat, aurum omnimodo quærens: illi vero non sit facile, neque ulla mobilis substantia: damus enim creditori licentiam volenti immobiles [19] res accipere pro auro, sed si nec quispiam emptor immobilium ejus rerum adsit, creditore frequenter etiam divulgante quoniam subjaceant debitoris res, & ob hoc terrente adire volentes emptionem, tunc in hac quidem felicissima civitate gloriosissimæ nostræ reipubl. judices secundum unicuique concessam a lege & a nobis jurisdictionem: in provinciis autem gentium præsides præparent subtili æstimatione facta rerum debitoris, dari secundum quantitatem debiti possessionem immobilem creditoribus, cum tali cautela, cum qua debitor dare possit. Rerum vero datio sit hujusmodi: quæcunque quidem meliora sunt, dentur creditori: quæ vero deteriora, apud debitorem, post debiti solutionem manere sinantur: etenim non erit justum dantem quidem aurum, recipere autem aurum non valentem, sed coactum [20] suscipere possessionem immobilem, non saltem meliora rerum debitoris percipere: & per hoc habere consolationem, quia si aurum non recipit, aut alia rerum, quæ portari possunt, tamen licet ei possessionem non inutilem habere: sed hoc quidem sit clementia quadam legis. Agnoscant autem creditores, quia etsi hanc non scripsissemus legem, necessitatis ratio ad hoc causam perduceret. Si enim non sit idoneus pecuniarum debitor, nec ullus emptor sit: nihil aliud facturus erat quam propriis bonis cedere [21], & rursus res ad creditorem merito venirent, aurum percipere non valentem: quamobrem quod cum injuria [22] & affectu acerbo perduceret creditorem & debitorem: hoc non clementer simul & legaliter decidentes, & infelicibus debitoribus auxiliamur & acerbis creditoribus non apparebimus duri, causam eis deputantes ad quam si permanerent inobedientes, tamen modis omnibus advenirent. Si itaque creditor paratus est præparare quendam emptorem: necessitatem habere debitorem hoc agere, præbentem hujusmodi cautionem arbitrio judicantis, qualem omnimodo est dare possibile: undique enim ita creditoribus providendum est, ut non debitores graventur. §. 1. Et absolute creditorem [23] ponimus, antiquas sequentes leges, omnem qui actionem habere contra aliquem potest, licet non sit mutuum gestum, sed alter quidem contractus consistat: argentariorum [24] quippe sponsionibus propter utilitatem contrahentium in ordine moderno durantibus [25].

EPILOGUS.

† Quæ igitur a nobis pro cautela subjectorum sancita sunt, cognoscens tua eminentia, solemnibus programmatibus & hic & in omni ditione fieri manifesta procuret: ut etiam inter gentes agnoscant subjecti, quanta fuerit nobis pro illorum utilitate providentia. Dat. ante diem 17. Kal. April. Indict. 13. Consulatu FLAVII BELISARII V. Clariss. 535.

TIT. V.

DE MONACHIS. [26]

NOVELLA CONSTIT. V.

Imp. Justin. August. Epiphanio sanctissimo & beatissimo hujus regiæ urbis sacricissimo Archiepiscopo, [& universali patriarcha.]

PRÆFATIO.

Conversationis monachalis vita [27] sic est honesta, sic commendare novit Deo ad hoc venientem hominem, ut omnem quidem humanam ejus maculam detergat, purum autem declaret, ac rationabili naturæ decentem, & plurima secundum mentem operantem, & humanis cogitationibus celsiorem [28]. † Si quis igitur futurus est monachus perfectus, indiget [29] & divinorum eloquiorum eruditione & conversationis integritate, ut tanta dignus factus sit mutatione. † Credimus igitur & nos explanare quod agendum est ab eis, & decertatores eos veros ad sacram viam constituere: & ita nobis intentio præsentis est legis, ut post illa quæ de sanctissimis episcopis sancivimus, & quæ de reverendissimis clericis disposuimus: neque quod monachicum, extra quod competit, relinquamus.

CAP. I.

De monasteriis [30] & eorum ædificatione.

Illud igitur ante alia dicendum est, ut omni tempore & in omni terra, si quis ædificare venerabile monasterium voluerit, non prius licentiam esse hoc agendi, quam [31] Deo amabilem locorum episcopum advocet: at ille manus extendat ad cœlum, & per orationem locum confecret Deo, figens in eo salutis nostræ signum [32]: (dicimus autem adorandam & honorandam vere crucem) sicque inchoet ædificium: bonum utique quoddam hoc & decens fundamentum ponens. Hoc itaque principium piæ venerabilium monasteriorum fabricæ fiat.

CAP. II.

De monachismum [33] profitentibus non statim vestiendis.

Hinc [34] autem nobis etiam de singulis monachis cogitandum est, quo conveniat fieri modo, & utrum liberos solum, an etiam forte servos: eo quod omnes similiter divina susceperit gratia, prædicans palam, quia quantum ad Dei cultum, non [35] est masculus neque fœmina, neque liber neque servus: omnes enim in Christo unam mercedem percipere. Sancimus ergo, sacras sequentes regulas, eos qui singularem conversationem profitentur, non prompte mox a reverendissimis præsulibus venerabilium monasteriorum habitum percipere monachalem: sed per triennium [36] totum: (sive liberi forte sint, sive servi) tolerare, nondum monachicum habitum promerentes: sed tonsura [37], & veste eorum qui laici vocantur, uti, & manere divina addiscentes eloquia: & reverendissimos eorum abbates requirere [38] eos sive liberi sint, sive servi, & unde eis desiderium vitæ singularis [39] accesserit: & discentes ab eis, quia nulla [40] maligna occasio ad hoc eos adduxit, habere eos inter eos, qui adhuc docentur, atque monentur: & experimento percipere eorum tolerantiam & honestatem, non enim facilis est vitæ mutatio [41], sed cum animæ sit labore. §. 1. Et dum triennio toto ita permanserint, optimos semetipsos & tolerabiles alios monachis & præsuli demonstrantes, hos monachicam promereri vestem atque tonsuram: & sive liberi sint, sine calumnia permanere: sive servi [1], penitus non inquietari, migrantes ad communem omnium (dicimus autem cœlestem) dominum: & arripiantur in libertatem. Nam si multis casibus etiam ex lege hoc fit, & talis quædam libertas datur, quomodo non prævalebit divina gratia talibus eos absolvere vinculis? Si vero intra triennium venerit quispiam, & aliquem horum, qui conversationem professi sunt, trahere tanquam servum voluerit: hoc quod nobis nuper ex Lycia nunciavit Zosimus Deo amabilis, vir famosissimus in conversatione, & prope vicesimum [2] & centesimum ætatis agens annum, pollens autem & animi virtutibus, & corporis operationibus: tanta quædam in eo gratia Dei floret. Si quis igitur (sicut prædiximus) intra triennium veniat aliquem in servitutem trahens volentium, & perdurantium ut fierent monachi, & dicat quoniam abripuit [3] quasdam res, & propterea recurrit ad monasterium: sancimus eum non prompte agere, sed primo probare pro veritate, quia servus est, & pro furto forsan, aut vita maligna, aut vitiis pessimis fugerit quidem propter suum vitium, ad monasterium autem venerit: & si quidem verax ostendatur, & apparuerit propter hujusmodi causam, monachicam simulans conversationem, aut propter turpitudinem vitæ forte diffugiens, & non pro veritate sanctimoniæ [4] habitum concupiscens, hunc reddi domino, cum quibus forsan abripuit, si tamen hæ res etiam in monasterio fuerint: eum vero qui dominus approbatur, dare ei jusjurandum [5], *quia nihil mali ei faciet, & suscipere, atque eum reducere [6] domum.* §. 2. Si vero is quidem, qui dicit se esse dominum, nihil tale probaverit, & appareat is qui in talibus accusatur, ex ipsa conversatione honestus ac mitis, & forsan testimonium habet aliorum, quod etiam apud dominum consistens disciplinatus fuerit, & honestatis amator: & si nondum forte completum est triennii tempus, attamen etiam sic maneat in venerabili monasterio, trahentium asperitate liberatus. Triennii vero semel expleto [7] tempore, judicatus quia monastica dignus est honestate, maneat in monasterio. Nequaquam enim damus licentiam ulli penitus perscrutari quæ ejus sunt: sed sive liber, sive servus sit, manere eum in conversatione volumus: nam etsi vitium in priori ab eo forte gestum est vita, (humana enim natura quodammodo labitur [8] ad delicta) attamen sufficiat ad mediocrem purgationem peccatorum, & ad virtutis augmentum triennalis temporis testimonium: ea vero quæ rapta sunt, etiamsi apud quoscunque inveniantur, modis omnibus reddantur [9] prisco domino. §. 3. Si vero servitii necessitatem effugiens, tentaverit monasterium quidem derelinquere, aliam autem vitæ sectari figuram: licentiam damus domino & trahere [10] eum, & probanti fortunam, inter servos habere: non enim injuriam patietur tantum ad verum servitium tractus, quantum ipse injuriatus est Dei culturam refugiens: & hæc quidem de fortuna horum qui inter monachos profiteri volunt, sancimus.

CAP. III.

Ut monachi communiter [11] habitent & dormiant.

Cogitandum vero est quomodo ipsos habitantes & degentes monasticæ philosophiæ [12] certatores [13] dignos esse ostendamus. Volumus enim nullum monasterium sub [14] ditione nostra constitutum, sive plurimorum hominum est, sive paucorum: monachos, qui ibi sunt, divisos ab alterutris esse, & propriis [15] habitationibus uti: sed communiter [16] quidem eos comedere sancimus: dormire vero omnes in communi [17]: unoquoque quidem in propria quadam stratura [18] jacente, in domo vero una collocatos: aut si forte non sufficit ad multitudinem monachorum domus una, in duas forsan aut plures, non tamen seorsum & apud semetipsos, sed in communi, testes alterutris sint honestatis & castitatis: & neque ipsum somnum desidiosum habeant: sed meditantem bonum [19] ornatum, propter increpationem respicientium: nisi tamen quidam eorum in contemplatione & perfectione degentes [20], vitam remotam habeant in hospitio: (quos vocare *anachoretas* [21], id est discedentes, & *hesychastas* [22]: id est quiescentes, consueverunt, tanquam a communione ad meliora exceptos, alioqui alios quibuscunque inter multitudinem conversatio est, in iis quæ vocantur cœnobia, id est communi vita, esse cum senioribus constituantur: fiet enim seniorum [23] conversatio, juventutem tradita sibi conversationem inculpabiliter observantes.

CAP. IV.

De monacho qui monasterium dimiserit [24].

Si quis autem forte semel dedicatus, schemateque potitus, deinde a monasterio discedere [25] voluerit, & privatam fortassis eligere vitam: ipse quidem sciat quam pro hoc habit Deo satisfactionem: res autem quascunque habuerit dum in monasterium intrabat, eas dominii esse monasterii, & nihil penitus ejiciat.

CAP. V.

De viro vel muliere qui quæve solitariam vitam appetit [26].

Illud quoque decernimus: qui in monasterium introire voluerit, antequam monasterium ingrediatur, licentiam habere suis uti [27] quo voluerit modo. Ingredientem [28] namque simul sequuntur omnino res: licet non expressim, qui introduxerit eas, dixerit: & non erit dominus earum ulterius ullo modo. Si vero filios habuerit, si quidem contigerit jam eum res aliquas donasse eis, aut per antenuptialem donationem, aut per dotis occasionem contulisse, & faciunt hæc quartam ab intestato, ejus substantiæ: nullum in reliquis rebus habeant participium filii: sin autem nihil eis donaverit, aut minus quarta: postquam abrenuntians conversatus fuerit inter monachos [29], nihilominus quarta debeatur filiis, aut supplementum, si contigit eos jam aliquid accepisse, aut etiam quatenus totum eis detur. Si autem uxorem habens, deinde eam relinquens, in monasterium ingrediatur: & dos [30] mulieri servetur, & ex morte pactum, quod in alia nostra sancivimus constitutione) omnibus, quæ super monachis de his dicta sunt, & in mulieribus in monasterium ingredientibus, valituris.

CAP. VI.

De monacho monasterium dimittente.

Si vero relinquens monasterium, ad quandam veniat militiam, aut ad aliam vitæ figuram: substantia ejus etiam sic in monasterio (secundum quod a nobis prius [31] dictum est) remanente, ipse [32] inter officiales clarissimi provinciæ judicis statuetur: & hunc habebit mutationis fructum: ut qui sacrum ministerium despexerit, tribunalis terreni observet [33] servitium.

CAP. VII.

De monacho qui de uno ad aliud monasterium transit.

Si vero relinquens monasterium, in quo conversationem habuerit, ad aliud transeat monasterium: etiam sic quidem ejus substantia maneat, & vindicetur a priori monasterio, ubi abrenuntians hanc reliquit. Competens autem est reverendissimos Abbates non suscipere eum qui hoc egit. Erronea namque talis est vita monachica, nullatenus tolerantiæ proxima, neque constantis, & persistentis animæ, sed indicium habentis circumlatæ, & aliunde alia requirentis. Ea propter etiam hoc prohibeant Deo amabiles episcopi, & archimandritæ [34] nuncupati, monachicam honestatem secundum regulas sacras conservantes.

CAP. VIII.

Ne monachi uxorem ducant aut concubinam.

Si quis autem monachicam profitentium conversationem meruit clerici ordinationem, maneat etiam sic puram servans conversationem: quod si facti clerici abutantur fiducia, & ad nuptias venire præsumant: quippe in tali gradu constitutus inter clericos, qui ei uxorem [35] ducere permittat: (dicimus autem gradum [36] cantorum, aut lectorum, aliis enim omnibus nuptias secundum sacras regulas penitus interdicimus, aut concubinas [37] habere, aut luxuriis tradere vitam) excludatur modis omnibus a clero, tanquam priorem conversationem, & solitariam confundens vitam: & privatus sic de cætero: ad militiam quidem, aut ad aliud officium venire non præsumens, nisi voluerit dudum a nobis interminatis subjacere pœnis: ipse autem apud semetipsum degens, & agnoscens qualem pro hoc daturus sit magno [38] Deo satisfactionem.

CAP. IX.

De electione & creatione Abbatis, & ut constitutio sit communis tam monachis quam sanctissimis abbatibus.

Ordinationem vero Abbatum (si quando contigerit egere monasterium abbate) non per [39] ordinem reverendissimorum fieri monachorum, nec omnino eum qui post primum est, mox abbatem fieri: nec qui post illum secundus est, neque tertium, aut reliquos: (hoc quod etiam alia lex nostra dicit) sed Deo amabilem locorum episcopum [40] percurrere quidem consequenter per omnes (non enim exhonorandum est omnino tempus, & ex eo ordo) *& eum qui apparuerit prius optimus [41] inter monachos constitutus & dignius præsulatu eorum, hunc eligere.* eo quod humana natura talis est, quod neque omnes per ordinem inter summos, neque rursus omnes inter novissimos constituti quidem sint: sed procedat quidem secundum gradum præcedentis inspectio: qui vero prior mox inter numeratos optimus apparuerit, is abbas sit, & ordinem simul [42] & virtutem suffragantem habens. Oportet enim eos qui discernunt quod melius est a priore, aliud quidem ad regendum dimittere, aliud vero inclinari jubere, & paulatim per eruditionem hoc etiam ad melius accedere. §. 1. Quæcunque tamen a nobis, in omnibus quæ prius & quæ nunc prolata sunt, sacris nostris constitutionibus sunt sancita de clericis, aut monachis, aut monasteriis, hæc communia ponimus & in masculis & in fœ-

---

fidejussore, *ut hic. Auth. hoc si debit. C. de pign. & Auth. præsente C. de fidejuss.* Fallit, nisi fidejussor jurejurando interposito promisit pecuniam solutam iri creditori, *cap. ex rescripto, extr. de jurejur.* Si debitor pendente judicio cum creditore rem obligatam alienat: potest enim hoc casu creditor emptorem convenire etiam non discusso principali, *l. distractis, & Auth. hac ita. C. de pign.* Fallit etiam, si debitor principalis abfit, ut & ii debitor constituit, se precario nomine creditoris sui possidere, & condictione ex illa lege agitur, *l. ult. C. de adqu. poss.* Fallit etiam, si certum sit, reum principalem solvendo non esse, *Gl. 1. silinsfam. 14. ff. si certum. l. decem. 116. ff. de verb. obl.* si fidejussor vel possessor conventus discussionis exceptionem non opponit. *Gloss.* Bart. Raph. *in l. si mancipium 34. ff. de evict.* si creditor agit adversus commodatarium vel depositarium rei sibi obligatæ, vel si bona debitoris extra territorium vel in castro aliquo sita sint, ut facile creditor in ea experiri non possit: si debitor ita rixosus sit, ut eum facile convenire creditor non possit: si debitor ab uno creditore sit jam discussus: si ex forma statuti solennitate omissa procedi potest. vid. Socin. *regul. Excessus* 134. His adde, quæ scripsi ad *Authent. præsente, C. de fidejussoribus.*

1 Reo principali & fidejussore præsentibus, ille primo loco convenendus est: post eum, fidejussor. 2 Papiniani laus.
3 Fidejussori datur dilatio ad deducendos reos principaliter obligatos absentes.
4 Fidejussor obligatur subsidiarie. 5 Cedere suas actiones creditor debet fidejussori solventi, adversus reum principalem. 6 Hinc sumpta est Auth. *Sed hodie, C. de obligat. & act.* & Auth. *Hoc si debitor. C. de pign.* Hoc autem constituitur, ut fidejussores, mandatores & sponsores priore loco conveniantur, quam pignorum possessores. 7 Debitores fidejussorum convenii debent, discusso ipso fidejussore. De beneficio discussionis vid. Ferrarienses. *in libello action. hypothec. 44. in verb. Except. excussionis* 8. 8 Πρωτότυπον hunc vocant Græci nac Novella & Harmenop. 3. *tit.* 6. 9 Vid. *l.* 41. *ff. de fidejussoribus.*
10 Vid. ad hunc locum Cujac. 8. *obs.* 19. 11 Βεβαιωτὴν, id est, auctorem secundum. *l.* 4. *ff. de evict.* 12 In persona ibus actionibus venditor primo: deinde confirmator: postremo detentor conveniendus est. 13 Confirmator βεβαιωτὴς is spondet evictionis nomine pro venditore: Confirmator venditionis dicitur a Juliano, ut & a Cicerone confirmator pecuniæ. 14 Responsoribus. Responsorem ἀντιφωνητὴν Græci vocant & constitutum, ἀντιφώνησιν, ἐπιφώνησιν. 15 Fortsitan 12. tabularum: de quo vid. Cujac. *hic.*
16 Ad verbum extat apud Harmenop. 1. *tit.* 5. §. 97. 17 Hinc sumpta est Auth. *Hoc nisi, c. de solutionib.* 18 Πεζοχρέων, hoc est, paratus, Harmenop. *d. loco.*
19 Τὰ κινήσιμα, res mobiles. 20 Vid. *l.* 24. *C. de solut.* An aliud pro alio solvi possit, dixi ad *l.* 3. *ff. de reb. cred.* 21 De beneficio cessionis, vid. quæ notavi ad *l. ult. C. de bon. ced.* adde Hotom. 25. *Illustr.* 22 Vid. Novellam 135. *cap.* 1. 23 Creditor quis dicatur, vid. *l.* 10. *ff. de verb. sign.* 24 Vide *Nov.* 136. 25 Nisi juri suo excussionis, argentariorum causa renunciaverint qui apud eum fidejussserunt vel constituerunt.

26 Adde *Novell.* 123. 27 Laus viæ monasticæ. 28 Dicam ad *c.* 3. *J. eod.*
29 Monachus peritus sacrarum scripturarum esse debet. *Nov.* 6. *c.* 4. 30 Vide *Novell.* 131. *c.* 7. 31 Monasterium ignorante episcopo non est ædificandum. adde *Nov.* 131. *c.* 7.
32 Crucem appellat salutis nostræ signum, de qua dixi ad titulum, *Nemini licere signum salvator.* alibi quoque plenius dicemus. 33 *Nov.* 123. *c.* 36. 34 Hinc sumpta est Authentica, *Verum* 38. *C. de episc. & cler.* Goth. Vid. Gudelin. *de Jure Novissimo lib.* 1. *c.* 4. *num.* 2. *& can. si quis.* 3. *caus.* 17. *quæst.* 2. Anf. 35 *Epist. ad Galat.* 3. *vers.* 28.
36 *Novell.* 123. *c.* 35. 37 Habitus monachalis est tonsura, & vestis diversa a laico. At tonduntur laici per pectinem: monachi tritidim. 38 Cur? desperatio interdum facit monachum. 39 Τὰ μονήρεις βίῳ, vitæ solitariæ. 40 Et merito, ne aliquin monasteria fiant foveæ latronum, §. 1. *vers. si quis igitur* J. *eod.* 41 Monachismo capitis deminutionem contingere hinc colligunt: quod Cujacio displicet: nec enim omnis vitæ mutatio, minutio est capitis.

1 Monachismi professione, servi fiunt liberi. 2 Vitam & ætatem Zosimi hujus observa. Vita hominum quousque excurrere possit ex placitis quibusdam philosophorum, vide Plinium 7. *cap.* 49. Trebellius Pollio *in D. Claudio* refert doctissimos mathematicorum adnotasse 120. Mosem solum Dei amicum, ut Judæorum libri loquuntur, 125. annos vixisse: cum 120. tantum annos homini ad vivendum datos, neque amplius cuiquam concessum, addit tamen fed falso annos Mosem vixisse conflet, *Deut. ult. vers.* 7. Plinius *ubi sup.* plures enumerat longioris vitæ fuisse. Utique, vitam hominis 70. aut 80. annorum esse. David monet, *Psal.* 90. *vers.* 10. de senectute memorabili, & iis qui diu vixerunt. vid. 8. Valer. 13. Cœlum Rhodiginum Rhodigin. *antiq. lect. lib.* 20. *c.* 11 14. Tholosan. *de Republ. lib.* 13. *cap.* 25. *n.* 5. Joann. Noerenberg. *Histor. natural. lib.* 8. *c.* 9. Anf. 3 *S. eod. in princ.* 4 Antiquum est pallio licet religionem vestibus simules, licet fidem cingulo aderas, licet sanctitatem pallio mentiaris, non credis. Notum est illud, Habitus non facit monachum, & κλυταιρεῖς πολλοὶ φιλοσόφους, πανγνωστοῦσι καὶ πεδιωδοφόρεις πολλοὺς, ὅτι ἰσόκυκλος ἀλλαγοκλίαι, vide Cœlium Rhodiginum 5. *c.* 12. Holam ad Philemonem. vid. *Nov.* 123. *c.* 35. 5 Cedere suas actiones creditoribus solventibus. 6 Confer epistolam ad Philemonem. vid. *Nov.* 123. *c.* 35. 7 Leo id abrogat *Novell.* 10.
8 Hinc illud Poëtæ, ut, vitiis sine nemo Nascitur: & Accilius fatis animus meliora recusat: & alibi de puero, Cereus in vitium flecti. 9 Rerum furtivarum possessio, raptori denegando. 10 Servus defertor monasterii, recidit in priorem servitutem.
11 *Novell.* 123. *cap.* 36. 12 Φιλοσοφία μοναχικὴ. 13 Ἀγωνιστὴς.
14 Edicta Imperatorum non obtinent extra territorium. *l.* 1. *Cod. de summa Trinit.*

15 Monachorum una domus, una cœnatio, unum cubiculum. 16 Id est, eodem cœnaculo, *Novell.* 135. 17 Id est, eodem cubiculo. 18 Id est, lecto.
19 Ἀκοσμίαν. 20 Legendum ita est: degentes vitam ἰδιόζον ἔχοντα οἰκονομίαν, peculiarem habeant domunculam. Goth. Adde *Nov.* 133. *c.* 2. & *nov.* 123. *c.* 36. *in pr.* Anf.
21 Heremitæ diversa a Monachis. 22 A quibus ἀνυχαστοὶ. diversa a monasteriis. Hujusmodi philosophos Aristoteles ait, aut bestias esse aut deos, 1. *Politic.* vid. Cujac. *hic.*
23 Seniorum conversatio juventuti prodest. 24. Adde *Nov.* 123. *c.* 40. 25 Pœnam monachi desertoris observa. 26 Vid. *Nov.* 123. *c.* 42. 27 Testari ante monachismum, quis de suis bonis poteit. 28 Hinc sumpta est Authentica, *Ingressi, C. de SC. eccles.* & Authentica. *Nunc autem, C. de episcop.* adde *Nov.* 123. *c.* 38. 29 De quo vid. *l.* 30. *C. de inoff. test.*
30 *l.* 56. *C. de episcop.* vid. *Nov. Leonis* 5. 31 *l.* 4. 2. *supr. eod.* 32 *l.* 53. §. 1. *Cod. de episcopis & clericis.* adde *Novellam* 257. J. *eod.* 33 Hodie revocatur ad monachismum, *Novell. Leonis* 8. 34 Archimandritæ qui, dixi ad *l.* 7. §. 2. *C. de summa Trinitate.* Epiphanius *in Panario* interpretatur monasteriorum patres. vid. Ferrandum 2. *Explicationum* 36. 35 Monachis non licet uxores ducere. Quin si clerici facti sint? hoc enim quodam eis licuit, quibusdam præsertim locis, licet constitutionibus & canonibus solis lectoribus & cantoribus ea facultas postea permissa, uxores ducere non possunt.
36 *Nov.* 22. *c.* 42. 37 *Nov.* 123. *c.* 29. 38 Pœna igitur civili non adficiur monachis. vide *Novell.* 123. *c.* 34. 39 Ad abbatias non fen per promovendi seniores ex qui senior, fed qui melior, eligendus. 40 Abbates eligunter ab episcopo. 41 Non 42 Is, in quem ætas, & virtus simul concurrunt cæteris præfertur.

demon-

minis,